



Dass

NOT

+

9.a.
10

FVRIAS
BELLA EXCITANTES
EX FABVLIS SISTIT

EXORNATORES REI SCHOLASTICAE

AD

EXAMEN

IN SCHOLA SENATORIA D. XXII SEPT. MDCCCLX

HORA X HABENDVM

ET AD

ORATIONES

IN EADEM D. XXIII SEPT. H. L. Q. C.

RECITANDAS

EA QVA DECET OBSERVANTIA

INVITANS

M. IO. FRANCISCVS WAGNER

RECTOR SCHOLAE HELMSTAD. SENAT. SVBPRIOR COENO
BII MARIAEVALL. POETA LAVR. CAES. CVSTOS BIBLIO
THECAE ACADEMIAE IVLIOCAROLINAE SOCIETATVM
TEVTONICARVM HELMSTADIENSIS EPHORVS ALTORFI
ENSIS MEMBRVM HONORARIVM EXTRAOR
DINARIVM

HELMSTADII

LITTERIS DRIMBORNIANIS

112

F A R I A S
B E L L A E X C I T A N T E S
E X F A B U L I S S I S T I T

E X O R N A T O R E S K E I S C H O L A S T I C A E

E X A M E N

I N S C H O L A S E M I N A R I A D E X I I I S E P T E M B R I I

H O L A X H A R D U M

E T A D

O R A T I O N E S

I N E A D E M D E X I I I S E P T E M B R I I

R E C I T A T I O N E S

E A Q U A D E C E T O S S E R V A T I A

I N V I T A T I O

M E I O F R A N C I S C U S W A G N E R

PROFESSOR SCHOEAE RHEINLANDIENSIS
HABITANS IN VILLA SVEVICA
DE MARIENBURG POSITA IN PARTE OCCIDENTALI
HUIUS ACADEMIAE INVOCATIONE ADORANDI
TEUTONICANVM HUMANITATIS PRAECEPTVM
HUIUS MEMBRVM HONORARIVM DIGNISSIMO

D I G N I S S I M O

H E L M S T A D I I

L I T T E R A S P R I N C I P I I S





SCIVNT vero et illi, qui antiquitatum profanarum sacris vix initiati sunt, caussas belli, cuius fama divinis ferme praestantissimorum ingeniorum operibus in omne aevum propagatur. Helenam, quam Theseus olim, virginis formae elegantia captus dicam? an amore saucius, subduxit quidem, sed fratrum pari non multo post reperenti incolumem restituit; Helenam hance, dico, ingratus Paris Menelao iam matrimonio iunctam rapit, in patriam abducit, et iniuria hac, qua maior vix cogitari potest, commouit Graecorum Principes, vt foedus arcuissimum ineant, ac e praesenti tranquillitate magnas belli tempestates excitent, Troianos que in eas coniiciant. Igitur Troia, non tam militum virtute, quam fraude potius et vel tandem capta, ignis subdoli flammis corrumpitur; Pergama illa prolabuntur, et perdit Pyrrhi ferrum vel Priamum

tot quondam populis terris que superbum

Regnatorem Asiae a)

Huius vero tantae calamitatis caussam magna, vt ego quidem arbitror, emphasi apud MARONEM vocauit ERINNYEM Aeneas, animo subinde secum voluens, num occideret, an saluam ipse relinqueret TYNDARIDA quam vidit

limina Vestae

Seruantem et tacitam secreta in sede latentem b)

nam

Illam sibi infestos euerfa ob Pergama Teucros

Et poenas Danaum, et deserti coniugis iras

A 2

Per-

a) VIRGI AENEI II, 556. sq b) AENEI II, 568. sq

Permetuens, *Troiae et patriae communis* ERINNYIS
 Abdiderat sese, atque aris inuisa sedebat c)
 magna, inquam, emphasi poeta Helenam *Troiae et patriae communis* ERINNYEM nuncupauit. quem namque fugere potest, hoc Furiarum esse nomen, quarum ministerio, ni omnem fabularum architectis deneges fidem, Iupiter utebatur, si peccatis sceleratorum iratus quaeuis iam calamitatum genera iis infligeret; praesertim vero, si, iussu ipsius, atrox belli tempestas malefactorum regiones inundaret, turbaret, disiceret? atque quis dearum harum iustitiae diuinae vindicam nomine nefando dignior est illo, qui facinoribus perpetratis iram coelestis numinis adeo commouit, ut hoc vel in communem patriam animaduertere oporteret? quanto enim hanc, tanto sane odio non illas aequus rerum aestimator detestabitur. Sicuti vero sub Furiae nomine ea proprie venit dea, quae, Ioue annuente, ab hominibus nefariis poenas sumat factis dignas: ita VIRGILIO eleganti tropo *Erinnyis* est haec Helena, cuius scelus commissum Troiae fuit exitio. Quae vero iam stricim ad illustranda poetae verba de *Erinnyibus bella ad scelus hominum puniendum Iouis iussu excitantibus* praefatus sum: ea hacce prolusione tractare curarius et copiosius explanare conor. Quum enim non pauci putarent, ea, quae nos haut ita pridem ad scholasticas orationes inuitantes de hostibus votis prius, quam armis, vincendis tradidimus, nec indigna partim fuisse officii nostri ratione, partim vero nec absona tempori belli, quo ardet Europa pene vniuersa: nulli dubitamus, futurum esse, ut lectori hisce studiis fauente arrideat et hoc argumentum, ad quod scribendum nos allectat ipsa eiusdem belli imago animis nostris subinde obuersans

T DE

c) c. l. vs. 571. sq

I DESCRIPTIO FVRIARVM BREVIS, NOMINA QVE
COMMVNIA

FVRIAE fabularum conditoribus sunt deae d) vir-
gines e) alatae, horribiles vnguibus et obscenae hinc
volucres. f) nec tamen est, quod credas, vnum esse
commune earum nomen. *Ἐρινύες* enim primo vocan-
tur, quam denominationem graecae originis ab *ἐρῆνυεν*,
indignari et commoueri, NATALIS g) deriuat. videli-
cet Furiae iniustitiam hominum et vitia indignantur,
prouti elucet ex ORPHEO haec canente. h)

Ἄλλ' αἰὲν θνητῶν πάντων ἐπ' ἀπειρονα Φύλα

Ἄμια δίκης ἐφορεῖτε, δικασπόλοι αἰὲν εὐσοῖα

Iustitiae quae oculos gentes torquetis ad omnes

Iustitiae affectae semper recti quae ministrae

Ab *Orpheo* EVMENIDES ἀπὸ τῆ εὐμενείν, benignum esse,
dictae sunt. ille enim placauit eas, Palladis iussu, Argos
iter suscipiens. quid mirum proinde, si SOPHOCLES
scripsit i)

Ὡς σφας καλοῦμεν εὐμενίδας ἐξ εὐμενῶν

Στέρνον δέχεσθαι τὸν ἱκέτην σατήριον

Ipsas vocamus Eumenidas pectore

Quod supplicem seruauerint amabili

Latinos autem, ecquis quaeso est, quem fugiat, FVRI
ARVM

A 3

d) Alecto enim dea est MARO

NI AENEI VII, 345. 408

e) Hinc Iuno ad Alecto AENEI

VII, 331

- Virgo fata nocte

f) Hinc MARO AENEI VII, 408

Protinus hinc fuscis dea tol-
litur alis

Audacis Rutuli ad muros

et Iuturna apud EVMDEM Li

XII, 869 et 875. sq

Procul vt dirae fridorem
agnouit et alas

- - ne me (inquit) terre-
te timentem

Obscenae volucres: ala-
rum verbera nosco

g) vi. NATALIS COMITIS
Mytholog. Li. III. p. m. 225

h) In hymno, quem scripsit in
Eumenides

i) *Οἰδισ. ἐπι νου.* ex ed. Henr
Steph. (1568) p. 288

ARVM nomen deduxisse a furore, in quem vertuntur et aguntur mortales, quale quid, vt hac vtar, Amatae, k) Latini Regis vxori, contigisse scimus. etenim

Huic dea caeruleis vnum de crinibus anguem
Comicit, in que sinum praecordia ad intima subdit
Quo *furibunda* domum monstro permisceat omnem
Ille inter vestes et leuia pectora lapsus
Voluitur tactu nullo, fallit que *furentem*
Vipeream inspirans animam

Fallimur vero, aut id certum esse putamus, easdem illas DIRARVM nomine a latinis poetis mactari. Si id verum esse anceps dubitas: audi quaeso VIRGILIVM ita inter alia canentem l)

Haec vbi dicta dedit (Iuno) terras horrenda petiuit
Luctificam Alecto, *dirarum* ab sede fororum
Infernis que ciet tenebris

et paullo ante: m)

Armatam facibus matrem et serpentibus atris

Quum fugit, vltices que sedent in limine *Dirae*

Caeterum non ignoro, esse, qui, quum et ingenio eximie floreat, et doctrina liberali aequae ac lautissima farragine ad mythologiam nitore suo restituendam necessaria instructi sint, qui, inquam, diuersis hisce Furiarum nominibus non vnam eandemque vim significandi tribuunt. *Diras* enim in *coelo* esse volunt, *Furias* in *terris*, *Eumenides* apud *Inferos*. n) at, ne quid dissimulem, valde coacta mihi videtur haec declaratio; certe locus ille, quem dico, VIRGILII intercedit, quo minus praestantissimis alioquin antiquitatum interpretibus id defendentibus assentiar. Si enim dicta verba attente quis consideret: is sane non modo videbit, *Iunonem* *ciisse* *Alecto* a *sede fororum* *dirarum* et *infernus tenebris*; sed ei etiam in mentem

k) AENEI. Li. VII, 346. sqq

l) AENEI. Li. VII, 323. sq

m) AENEI. Li. IV, 471. sqq

n) VI. VIRGI' opera omnia cum
commentario TAVEMANNI
p. 609. b

rem dubio procul veniet, posteriora explicare priora, ita ut, ex vatis mente, *dirarum etiam sedes infernae sint tenebrae*. Id interim negare non aulim, eos, quibus *Furiae Harpyiaeque caedem sunt deae*, argumentis, licet non quaeuis tela obrudentibus, certe tamen non omnino contemnendis mihimet videri rem suam agere. primo enim ea harum pestium, quae Aeneae et focis apparuit, ac tristissimum illud iis praedixit fatum

Non ante datam cingeris moenibus urbem
Quam vos dira fames, nostraeque iniuriae caedis
Ambefas subigat malis absumere mensas p)
praeſagio ſuo vim & fidem conciliauit hoc

Furiarum ego maxima q)
Harpyiae inſuper, non ſecus ac Eumenides, iubentur de improbis ſumere ſupplicium. Fabulae enim nos docent, Phineo, Regi Arcadiae, quum is muliebribus vxoris Harpalices blanditiis impuſus liberos ſuos priuaſſet oculis, a diis tanti ſcleris vindicibus iterum excaecato Harpyias immiſſas eſſe, quae dapus menſas que deſaedarerent; Zethum vero et Calaim, Boreae filios, qui belluas haſce regno pellebant, et in Plotos vsque inſulas perſequebantur, ab Iride admonitos fuiſſe, ut abſtinerent ab his Iouis canibus. r) Neque vero forma Harpyiarum diuerſa eſt aut abſimilis ei, quae Furiis adſcribi ſolet. ita enim de illis VIRGILIUS canit s)

Triftius haut illis monſtrum, nec faeuior vlla
Peſtis et ira deum Stygiis ſeſe extulit vndis
Virginei volucrum vultus: foediſſima ventris
Proluuias: vncae que manus et pallida ſemper
Ora fame

Quid

- o) Huic ſententiae fauent SER
VIVS IO LVD DE LA
GERDA in Comment. in VIR
GILIVM alii que
p) AENEI Li. III, 255
q) c. l. vs. 252
r) VI. TAVEMANNI Comment. in
VIRGILIVM p. 511. b
s) AENEI Li. III, 214. ſqq

Quid? quod idem ille Harpyiarum numerus, qui erat Eumenidum, quas paullo post videbimus; in earum vero censum venire solent Aello, Ocypete et Celaeno. t) Caeterum, ne quid fileam, adfunt et argumenta, quibus incitatus vix abs me impetrare possum, vt horum sententiae album adiciam calculum. vt enim id non virgeam, vtrique huic dirarum speciei diuersam plane a poetis aequae quam a mythologis adscribi originem; u) id saltem monere placet, Eumenides VIRGILIO ab Harpyis probe discerni, ita vt eae in vestibulo, hae autem in Orco foribus teneant locum. x) certe ii me sibi dissentientem non habent, qui contendunt, et vel hoc vnico allato fundamento corruere eorum sententiam, qui, duce SERVIO, y) dicere nulli erubescunt, deas nostras apud Inferos appellari *Furias et Canes*, apud Superos *Diras et Aues*, in medio autem *Harpyias*.

II NUMERVS FVRIARVM

TRES autem creditae vt plurimum z) sunt Furiae, quas singularibus nominibus distinctas sistit Orpheus in hymno, cuius modo auctoritatem inuocauimus.

ΚΛΩΤΕ

t) vi. TAYLMAN. c. l. p. 511. b quemadmodum vero Harpyis quartam quidam addunt, *Thyllam* nempe, vti monet DE LA CERDA c. l. ita numerus Furiarum quoque auctus est, quod infra docebimus

u) De Furiis infra; de Harpyiis cf. NATA' COMI' Mytholog. Li. VII, 729. sq

x) VIRGAE NEI' Li. VI, 273. sqq

y) Cui assentitur DE LA CER

DA in *Comment.* in VIRGILIO
z) Addidit EVRIPIDES in HERCULE FURIO quartam, vs. 876. canens

Μέλεος ἑλλάς, ἢ τὸν διεργέτην
Ἀποβαλεῖς, ὄφεις μενίαισι Λύσσα
Χορευθὲν' ἐναύλοισ

Infelix es, o Graecia, quae benefactorem

Amittes, perdes Lysiae furoribus

Agitatum internis

Κλύτε θεοὶ πάντιμοι, ἐπιβρομοὶ, εὐραΐστειροι,
 ΤΙΣΙΦΟΝΗ τε καὶ ἈΛΛΗΚΤΩ καὶ διὰ ΜΕΓΑΙΡΑ
 TISI PHONIS nomen deducunt a voculis: τίσει vi-
 tione et Φόνω caede; quoniam haecce furia viciscatur non
 nisi eiusmodi scelus, quod tam ex ira, quam ex odio,
 tamquam e perenni fonte, emanare solet. MEGAERAE
 vero nomen, si NATALEM a) sequi velis, deriuandum
 est ἀπὸ τῆς μεγαίρειν, inuidere, quia huius Erinnyis esset,
 ut peccatorum per inuidiam commissorum poenas sume-
 rer. at aliis haec deriuatio displicet: hinc iis Μεγαίρειν idem
 est, ac μεγαλή έρις. b) Ἄλληκτος tandem est numquam
 cessans: quippe vox haec ex α negante et nomine, ver-
 bum λέγειν tamquam matrem agnoscente, composita est.
 Iurare ausim, quod non aliam ob causam hoc nomen
 Furiae, de qua sermo est, indiderint vates, quam quod
 ista numquam cessaret, eos agitare et terrere suis taedis
 ardentibus, qui commiserint aliquid impie scelerate que;
 quod que hinc grauissimis poenis facta nefanda prosequeretur.
 Quid mirum proinde, si feueram hanc Furiam
 Odit et ipse Pater Pluton, odore sorores
 Tartareae monstrum c)

III. GENVS FVRIARVM

SICVTI vero antiquitas fabulosa non minus quam
 profana in explicanda plurimorum deastrorum origi-
 ne parum sibi constar: ita Furiis etiam alii alios ad-
 signant parentes. Si enim, quem primo nominare
 liceat, ORPHEVM audias; is Plutonis f. terrestris Iouis
 et Proserpinae filias illas dixit. eius verba ita sonant
 Κλύτε μου Εὐμένιδες μεγαλάνομοι εὐφροσι βελῆ
 Ἄγναι θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς χθονίοιο
 Φερεσφόνης τ' έρατῆς κέρης καλλιπλοκάμοιο

a) cf. NATA. COMI Mythol. b) VU DE LA CERDAE c. 1
 Li. III. p. 225 c) AENET. Li. VII, 327. fq



quod vero AESCHYLVS crediderit, illas e nocte esse progenitas, indicat et vel hic rythmus d)

Ἡμεῖς γὰρ ἔσμεν Νυκτὸς ἀϊωνῆ τέκνα
Non dissimilia ab vtriusque sententia protulisse VIRGILIVM fatebuntur, qui tam perpendunt versum modo proatum

Odit et ipse Pater PLVTON etc e)
quam considerant, quod ille dixerit

Hunc mihi da proprium, *virgo sata nocte*, laborem et paullo infra f)

Dicuntur geminae Pestes, cognomine Dirae

Quas et tartaream nox intempesta Megaeram

Vno eodem que tulit partu

Sed sufficiant haec. non enim omnes, quas longa manu suppeditat mythologia de Eumenidum genere, diuersas opiniones in medium proferam, quum verear, ne plurimi iam allata fastidiant. immo nec attingam, quae vnicuique earum inesse perhibent argumenta, tam e theologia, quam a moribus desumpta. At id addere periculum non erit. si isti nempe, quibus diuersae hae de Furiarum natalibus debentur opiniones, in iis effingendis res diuinas aequae quam humanas respexerint: certe hi omnes mihimet in eo videntur conuenire, quod, ex ipsorum mente, Furiae sint ad flagitia mortalium puniendi progenitae; quod que eadem ab inferis veluti, apud quos in nocte spississima regnat Pluto iste vnicuique infensissimus, iussu Deum Patris euocentur, quando improbi digna ipsorum factis animaduersione plectendi forent. Habitarunt namque in vestibulo inferorum; quare poetarum princeps, puta VIRGILIUS, non incongrue cecinit g).

Vestibulum ante ipsum, primis que in faucibus Orci
Luctus et vitrices posuere cubilia curae

d) *Eumenid.* ed. P. Victorii p. 286
e) *AENEID.* l. c. 334

f) *AENEID.* Li. XII, 845. sq. (c)
g) *AENEID.* Li. VI, 273. sq.

mortiferum que aduerso in limine bellum
 Ferreique Eumenidum thalami

IV MVNVS FVRIARVM

SVPEREST, vt et vel tandem consideremus munus, quo fungi seuerae hae deae tenebantur. Si omnia paucis complecti amas, dicere poteris, earum munus in eo generatim constituisse, vt, Iouis iussu, animaduertent in homines improbos, eosdem que variis calamitatum generibus punirent. Veritas huius theses eo maioribus elucet radiis, quo clarioribus verbis id ipse CICERO h) inuinit, dum, *Eumenides*, inquit, *si deae sunt, quarum et Aetnae sanum est, et apud nos, vt ego interpretor, lucus Furinae: Furiae deae sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris.* hinc

Hae Iouis ad solium saeni que in limine regis

Apparent, acuunt que metum mortalibus aegris

Si quando lethum horrificum morbos que Deum rex

Molitur, meritas aut bello territat vrbes i)

Fallor, aut ex allatis his poetae verbis, quae, dici vix potest, quam egregie illustrent TVLLII sententiam, tamquam ex prono fluit alueo, illas iustitiae vindices, Furias puta, timore eos in primis terrere, qui impie quicquam egerunt: quae vero poena peccatorum quorumuis veluti prima est, eaque naturalis. Qui enim facinora committit, is sua ipsius mente male factorum conscia agitur, atque terretur, adeo, vt, dum semper timet, ne irruat in poenas promeritas, nesciat omnino, quo gradum flectat. hic est ille metus, in quem mortales aegri a Furiis aguntur, et qui in ipsius animo gignitur. Hinc recte iam olim aeternum illud Romanorum decus, CICERO, k) ad patres conscriptos, *nolite putare, edicebat,*

B 3

quem-

h) De natura deorum Li. III, 18 k) Or. in Pisonem, c, 20

i) AENEID. Li. XII, 849. 14

quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari Furiarum taedis ardentibus: sua quemque fraus et suus error maxime urget: suum quemque scelus agitat amentia que afficit: suae malae cogitationes conscientiae que animi terrent. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae noctes dies que poenas praeteritorum peccatorum a consceleratissimis hominibus repetunt

Quas vero in scenam producere animus non horrebat, deae istae terribiles apparent etiam ad Iouis solium, si quando hic lethum horrificum molitur iis, qui quaeuis potius malitiae genera, quam virtutem, sectantur. ii enim non raro gravissime peccant, et immoderatiorem dissolutioremque vitae rationem sequi solent, quam vt ipsis conducatur; id quod istis saepius immaturae, nedum funestissimae, mortis causam affert. Tantum hinc abest, vt Furiae intendant ad eorum fortunam amplificandam studia, vt iubeantur potius omnia, quae vitam nefandis hisce terrae monstris conservare possint, tollere e medio ac removere. ita enim Iuturnam olim, quae formam Camerti assimilata Turno fratri contra Teucros pugnanti opem ferebat, Furiarum vna e certamine reuocavit, quo Turnus tandem, qui belli istius flammam et incenderat et aluerat, iustas morte sua poenas solueret. l) Nec deesse, puto, rationes, quibus motus contendere non erubescam, Furias esse, quae homines scelera perpetrata sceleribus augentes eo tandem adducunt, vt de sua salute non minus desperent, ac saeuas sibi met ipsi iniuciant manus. sane infelix Dido illa

— vbi concepit furias, euicta dolore
decreuit que mori, tempus secum ipsa modum que
Exigit m)

Tandem vero nec id praetereundum esse videtur, Iouem harum

l) AENEID Li. XII, 844. sqq

m) AENEID Li. IV, 474. sq

harum Furiarum ministerio uti, si vrbes regiones que bello vastare animo volutat. atque in hoc rationem deteges, quare VIRGILIUS n) eas socias Marti iungat hisce verbis

facit medio in certamine Mauros
Caelatus ferro, tristes que ex aethere Dirae

HORATIUS o) autem, docens, viam lethi semel omnibus, licet alii alio modo, calcandam esse, hoc etiam vsurpet

Dant alios Furiae toruo spectacula Marti
Quae igitur deae vltices scelerum sint; iisdem illis summas calamitates acceptas referre debemus. num enim bello, malis que iis, quae istud sequi solent ceu fidi comites, grauius quidquam et tristius accidere potest iis, quos terrae incolae fecit natura benigna. animus ferme horret ea recensere stilo vberiori, quae nos pro dolor docent ea tempora, in quae nostra cadit aetas. inter lacrimas enim et raucos clamores animum expirant parentes, liberi, fratres, amici

Mista senum ac iuuenum densantur funera
iam miseros mortales modis omnibus aduersa fortuna vexat, eos que conici dolemus in summas miseras; iam eorum etiam, qui ea temporis periodo, quam ornarat olea, fortunae bonis abundabant, facultates ita euersae iacent, ut inopia premantur vel earum rerum, sine quibus vix hominum vita sustentari potest. nulla, ut paucis me expediam, calamitas est, nullum exitium, nihil tam durum, tam acerbum, quod praesenti bello funesto communis patriae, puta Germaniae, tot regiones non sentiant, experiantur, perpetiantur, sustineant que. Tantae igitur sunt summi numinis irae

Etiam si vero cuiuslibet Furiae sit, ut iustitiam coelestem inultam non relinquunt, ut que sic memores iniuriarum allatae eas sentiant homines: Alecto tamen ea est,

B 3

cuius

n) AENEID. Li. VIII, 700. sq

o) Carmi. Li. I. Ode XXVIII, 17

cuius ministerio praecipue vsus fuisse videtur parens deorum ad bella excitanda. sane ea haec est
 cui tristia bella

Iraeque, insidiae et crimina noxia cordi p)
 quam ob rem VIRGILIUS q) eam suo iure *luctificam*
 appellavit: et Iunoni etiam, quum bellum inter Latinos
 Teucrosque ortum protrahendi animum habuit, nullius
 dirarum, atque huius, ministerium placuit, et quae bella
 non solum incendiendi, sed inflammandi quoque vim
 habeant, horum ei omnium adscribit facultatem r)

Tu (inquiens) potes vnanimis armare in proelia
 fratres

Atque odiis versare domos: tu verbera tectis
 Funereasque inferre faces, tibi nomina mille
 Mille nocendi artes

V SENSUS FABYLAE

CERTVM igitur est, vt opinor, Furias ex poetarum
 mente eas esse deas, quarum munus fatale hoc fuit, vt
 hominum scelera poenis promeritis, atque bellis etiam
 funestissimis aequè viciscerentur, quam non ferrent, vt
 impunita manerent delicta mortalium. Paucis iam lubet
 explorare, quo nos modo hunc *videtur* in nostram com-
 modum vertere et queamus et debeamus. Primo autem
 mihi non errare illi videntur, qui argumentum ex eo ad-
 uersus illos ducunt, qui vim conscientiae tum in primis
 infringere aut omnino tollere student, quum ex ea ad-
 summi cuiusdam numinis existentiam iure concludimus.
 vndenam enim iudices antiquitati suboluisse mentis agita-
 tionem atque perturbationem illam, quae ex male factorum
 conscientia oritur, nisi sensu ipso et experientia eam
 didi-

p) AENEID. Li. VII, 325. sq

q) cit. l. vs. 324

r) c. l. vs. 335. sqq

didicerint? quem vero poeniteret factorum, iudicis et summi et communis nescium? Dein vel profana antiquitas, ut haec quidem fabula docet, malorum, quibus affligimur, causam flagitia hominum, auctorem vero numen illud, quod summum et iustissimum est, statuit. quare nostra attentione dignissima videntur, quae Venus ad Aeneam, mortem Helenae meditantem, dixit s)

Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacaenae
Culpatusue Paris, verum inclementia Deum

Has euertit opes, sternitque a culmine Troiam
Scilicet quando eiusmodi Erinnyes, qualis fuit Helena, sceleribus suis efficit, ut bellorum flammis et calamitatibus vna maximis fines nostri vexentur, id ipsum non raro fatum est, quo ciuitas impia ac peruersa debitas tandem scelerum suorum poenas soluat

Quare, TERRARVM INCOLAE! quas iam premunt ac perdunt saeuâ belli infortunia

Discite iustitiam moniti et non temnite diuos t)
ut tandem redeat

Pax optima rerum

Quas homini nouisse datum est; pax vna triumphis
Innumeris potior; pax, custodire salutem

Et ciues aequare potens

TV autem, NYMËN SVPREMVM, ad quod huius beneficii causa tot hominum millia manus quotidie tendunt supplices, precesque mittunt ardentissimas, reduc aliquando in patriam nostram tranquillitatis felicitatem, felicitatisque huius constantiam. Eae in primis gentes, quae te vna profitentur ac colunt aeternae pacis auctorem ac restitutorem, tundant gladios suos in ligones, et hastas suas in falces; nec atrollat vna in alteram gladium, neque discant amplius bellum

Pero-

s) AENEÏ Li. II, 601. sq

t) AENEÏ Li. VI, 620

Perorabunt autem hac vice discipuli primae classis nostrae frequentes

IO' OGE' ENGEL SCHMIDT *veritatem Evangelii, in quod profitemur, ex irrito IULIANI conatu, templum Hierosolymis restituendi, demonstrabit sermone germanico proprio Marte elaborato*

FRANC' IVL' IO' SIEVERS *de gloriosa evangelii propagatione latina verba faciet*

GE' ERID' PAULI BREITHAVPT *de Scholarum necessitate ligatam orationem lingua vernacula habebit*
Meum igitur est, vos, Maecenates et Fautores litterarum, humanissime rogare, ut non minus ad Examen d. XXII Sept. in Schola nostra Senatoria habendum, quam ad audiendos hos iuvenes die XXIII eiusd. mens. ad nos dedignemini frequentes convenire. Scribam Helmstadt, d. XX Sept.

MDCCCLXX



Printed text at the bottom of the page, including the name of the printer and the location, likely Helmstadt.



00 A 6427

ULB Halle
002 927 292


3



0018

R





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

VRIAS
EXCITANTES
ABVLIS SISTIT

9, a.
10

LES REI SCHOLASTICAE

AD

EXAMEN

NATORIA D. XXII SEPT. 1616CCLX

HORA X HABENDVM

ET AD

RATIONES

M D. XXIII SEPT. H. L. Q. C

RECITANDAS

VA DECET OBSERVANTIA

INVITANS

ANCISCVS WAGNER

HELMSTAD' SENAT' SVBPRIOR COENO

POETA LAVR' CAES' CVSTOS BIBLIO

IAE IVLIOCAROLINAE SOCIETATVM

HELMSTADIENSIS EPHORVS ALTORFI

SERVM HONORARIVM EXTRAOR

DINARIVM

HELMSTADII
RIS DRIMBORNIANIS